

etenim Christi non ad Petri personam, sed ad Petri doctrinam, quæ ex confessione claruit, referenda sunt. Et sensus est, ut dictum: Tu es Petrus, h. e. appellaris Petrus, & super hanc petram, h. e. super hanc, quam de me edidisti, confessionem edificabo Ecclesiam meam. Quia confessio illa, quæ confessus es, quod ego sim Christus filius Dei vivi, & Salvator mundi, est vera petra, & solidum Christianæ religionis fundamentum. Notetur obiter: Πέτρα est ingens saxum & rupes: Πέτρος verò parvus lapis, quales sunt, qui Græcis χερμάδες & χερμάδια, pugillares lapides dicuntur. vide sis de hoc dicto: Tu es Petrus &c. Jacob Capellum in Tract. de sedis Rom. Potestate c. 1. p. 2. seqq.

3. Qui venit cum omnipotentiâ, est omnipotens:

Antichristus venit cum omni potentiâ, 2. Thess. 2. 9.

E. Antichristus est omnipotens.

Resp. est fallacia compositionis. Voces illæ divisæ ἐν πάσῃ δυνάμει, omni potentia, significant potentiam magnam, sed non statim

tim